



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 31. Ecclesiastici cunctos sacri Ritus libros tradere jussi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1550.

§. XXXI.

*Ecclesiastici cunctos sacri Ritus libros tradere jussi.*

Burnet t. 2.  
p. 215.

Hanc ob rem omnes Ecclesiastici Antiphonaria, Missalia, Gradualia, Processionalia, Manualia, Legenda, necnon S. Ordinum Cæremonialia, aliosque ejusdem generis libros, qui ad Saresberiensis, Londinensis, Eboracensis, vel aliarum Dicecesium usum erant destinati, Regiis Deputatis tradere jubebantur, imposito etiam præcepto, vi cujus deinceps divina Officia juxta nuperam Ordinum Constitutionem æquali ritu celebrentur, ac sollicite curetur, ut panis, & vinum pro Communione singulis diebus Dominicis in Ecclesiis apponantur. Præterea injunctum, ut preces ad Sanctos directæ ex Catechismis regnante Henrico VIII. impressis eliminantur, illi vero, qui sacras Imagines ex Ecclesiis acceptas in ædibus suis asservabant, illos confringerent, aut ante Mensis Junii exitum dilacerarent. Equidem huic mandato Episcoporum, ac Procerum non pauci refragabantur, atque inter alios Richardus Hatæus Vigorniensis Episcopus, cum novitatibus circa Ordinum collationem introductis nunquam assen-



assentiri vellet, in carcerem conjectus Sæcul XVI.  
A.C. 1550.  
fuit, eoquod rituale novum de initiandis Episcopis, ac Sacerdotibus approbare, constanter recusasset.

## §. XXXII.

*Modus initiandi Episcopos, & Presbyteros.*

Nova hæc forma latine conscripta nil nisi manuum impositionem complectebatur, quin ulla fieret mentio de unctione, sacris vestibus, instrumentorum traditione, aut de potestate offerendi Deo Sacrificium pro vivis, atque defunctis. Percipiamus vero, quisnam ritus pro inaugurandis Sacerdotibus fuerit præscriptus. Præprimis præmittitur eadem adhortatio, quæ pro S. Diaconatus Ordine designatur, dein ad hanc sequitur Cœnæ administratio, & postea legitur epistola ex capite vigesimo Actuum Apostolorum a decimo septimo usque ad trigessimum sextum versum, si vero eadem die Diaconi simul, & Sacerdotes initiandi sunt, tunc totum caput tertium epistolæ primæ ad Timotheum recitatur, cui etiam adjunguntur ultima verba ex postremo capite D. Matthæi, vel caput decimum S. Joannis a primo versu usque ad decimum septimum, aut denique vigesimum ca-